

cum oportet in pectora nostra penetrare; lapis officio advolvitur, ut quia nullus antea in nos divina cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absque eo postea inferatur. *Origenes* (tract. 35.) Non autem fortuito scriptum est, quoniam involvit corpus in sindone munda, & posuit in monumento novo, & quod advolvit lapidem magnum: quoniam omnia quæ sunt circa corpus Jesu, munda sunt, & nova, & omnia magna valde. *Remigius*. Postquam autem corpus Domini sepultum est, ceteris ad propria remeantibus, sola mulieres, quæ cum arctius amaverunt, perseveraverunt, & diligenti cura notaverunt locum in quo corpus Domini poneretur; quatenus congruo tempore munus suæ devotionis ei offerrent; & ideo sequitur: *Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulcrum.* *Origenes* (tract. 35.) Mater autem filiorum Zebedæi non scribitur sedere contra sepulcrum: forsitan enim usque ad crucem pervenire potuit. Iste autem, quasi majores in caritate, neque his quæ postea gesta sunt defuerunt. *Hieronymus* (super *Erant autem ibi Maria Magdalene, &c.*) Vel, ceteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseverant, expectantes quod promiserat Jesus; & ideo meruerunt primæ videre resurrectionem, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: supra 10. & 24. *Remigius*. Quod usque hodie sanctæ mulieres, idest humiles animæ sanctorum, in hoc sæculo faciunt, & pia curiositate attendunt quemadmodum passio Christi completa sit.

(m) *Hieronymus* (super *Sube custodiri sepulcrum.*) Non suffecerat principibus sacerdotum crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulcrum custodirent, & quantum in illis est, manus imponerent resurgenti: unde dicitur: *Altera autem die, quæ est post parasceven.* (super *Altera autem die post parasceven.*) Parasceve dicitur præparatio: hoc nomine vocatur sexta sabbati, in qua præparabant necessaria sabbato, ut de manna dictum est Exod. 16. 4. Sexta die colligitis duplum: quia enim sexta die factus est homo, in septima requievit Deus; ideo sexto die Jesus pro homine moritur, & in sabbato quievit in sepulcro. *Hieronymus* (a) Principes autem sacerdotum licet immensum facinus in nec Domini perpetraverint, tamen non sufficit eis, nisi etiam post mortem ejus conceptæ nequitie virus exerceant, famem ejus lacerantes; & quem innocentem sciebant, seducto-

(1) Al. quod post &c.

Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subjungitur ex Hieronymo, ex quo etiam Glossa citat, non occurrit in Hieronymo, sed in Rabano. (b) Neque rursus in sermonibus Augustini occurrit, ut nec alibi; etsi non semel triduane resurrectionis Christi causam reddidit.

rem vocant: unde dicunt: *Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit.* Sicut autem Caiaphas ignorans ante prophetaverat dicens Joan. 11. 49. Expedi unum hominem mori pro populo, & non tota gens periret: sic modo: seductor enim erat Christus non a veritate in errorem mittens; sed a falsitate in veritatem, a vitiiis ad virtutes, a morte ad vitam ducens. *Remigius*. Ex hoc autem dicunt eum dixisse, (1) *Post tres dies resurgam*, quia dixerat supra 12. *Sicut fuit Jonas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti &c.* Sed videndum quomodo post tres dies resurrexerit. Nonnulli voluerunt tres horas tenebrarum, unam intelligi noctem; & lucem quæ secuta est tenebras, diem: sed huius vim figurate locutionis ignoraverunt. Figurata enim sexta feria qua passus est, comprehendit noctem præcedentem; sequitur autem nox sabbati cum suo die; nox vero dominici diei comprehendit suum diem: ac per hoc verum est quod post triduum resurrexit. *Augustinus* in serm. de Pass. (b) (ubi supra.) Ideo autem post tres dies resurrexit, ut in passione Filii totius Trinitatis monstraretur assensus: triduum enim legitur in figura, quia Trinitas, quæ in principio fecerat hominem, ipsa in fine hominem per Christi reparat passionem.

Sequitur: *Sube ergo custodiri sepulcrum usque in tertium diem.* *Rabanus* (super *Fuerunt, & dicant plebi.*) Discipuli enim Christi fures spiritualiter erant: quia ab ingratis Judæis scripta novi & veteris testamenti ablata in usum Ecclesie conferabant, & Salvatorem qui eis promissus fuerat, illis nocte dormientibus, hoc est infidelitate torpentibus, abstulerunt, Gentibus credendum tradentes. *Hilarius* (can. 33.) Metus furandi corporis, & sepulcri custodia, atque obsignatio, stultitiæ, atque infidelitatis testimonium est: quod signare sepulcrum ejus voluerunt, cujus præcepto confixissent de sepulcro mortuum suscitatum. *Rabanus* (hoc loco.) In hoc autem quod dicitur: *Et erit novissimus error peior prioris*, ignoranter verum dicitur: peior enim fuit contemptus penitentiae in Judæis quam error ignorantie. *Chrysostomus* in hom. 90. Vide etiam qualiter nolentes conceitant ad demonstrandam veritatem: irrefragabilis enim demonstratio resurrectionis facta est per ea quæ prætenderunt: quia enim custoditum est sepulcrum, nulla frans facta est. Si autem frans facta non est, manifeste, & irrefragabiliter Dominus surrexit, Quid autem Pilatus respondeat sub-

jun-

jungitur: *At illis Pilatus: Habebis custodiam ita, custodite, sicut scitis.* *Rabanus* (super *Habebis custodiam.*) Quasi dicat: Sufficiat vobis quod consenti in necem innocentis: de cetero vester error vobiscum permaneat.

Sequitur: *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.* *Chry-*

ostomus in hom. 110. Non autem permittit Pilatus solos milites sigillare: si enim soli milites sigillassent, passent dicere quoniam milites permiserunt quod discipuli corpus Domini fura, rentur, & ita resurrectionis infringere fidem; nunc hoc dicere non possunt, cum ipsimet sepulcrum sigillassent.

CAPUT XXVIII.

(a) **V**espere autem sabbati, quæ lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de celo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est quaesistis. Non est hic: surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum ubi positus erat Dominus: & cito euntes, dicite discipulis ejus, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.

(b) Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens, Ave. Illa autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam: ibi me videbunt.

(c) Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite: Quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.

(d) Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Jesus: & videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

(a) **A**ugustinus in serm. de Resur. (a) Post illusiones, & verbera, post acetum, & fellis pocula mixta, post supplicia crucis, & vulnera, & postremo post ipsam mortem, & inferos, surrexit de suo funere caro nova, reddit ab occiduo latens vita, & in morte salus reservata resurgit, pulchrior reditura post funus. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 24.) De hora vero qua mulieres venerunt ad monumentum, non contemnenda exoritur quaestio. Cum enim *Matthæus* hic dicat: *Vespere autem sabbati quæ lucebat in prima sabbati*: quid est quod dicit *Mareus*: Et valde mane una sabbatorum venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum? Aperte quippe

prima noctis, quod est vespere, ipsam noctem voluit significare *Matthæus*, cujus noctis sine venerunt ad monumentum: ergo quoniam sabbato impediabant ut non ante facerent, ab eo tempore nominavit noctem ex quo eis licere cepit ut facerent quodcumque vellent tempore ejusdem noctis. Sic itaque dictum est: *Vespere sabbati*, ac si diceretur, nocte sabbati, idest nocte sabbati, idest nocte quæ sequitur diem sabbati: quod ipsa verba ejus satis indicant: sic enim ait: *Quæ lucebat in prima sabbati*: quod fieri non potest nisi tantummodo primam noctis particulam, idest solum initium noctis, intellexerimus dicto vespere significatum. Neque enim ipsum initium noctis lucebat in prima

R 5

Ex edit. P. Nicol. (a) In Augustino non habetur inter sermones qui nunc extant, sed apud Chrysostomum hom. 3. de Resur.

sabbati, sed ipsa nox (1) quæ in luce incipit terminari; & usitatus modus loquendi est divinæ Scripturæ à parte totum significare. Vespere ergo noctem significavit, cujus extremum est diluculum: diluculo enim venerunt ad monumentum. (a) *Rabbanus* (hoc loco.) Quod dictum est, quia sanctæ mulieres vespere sabbati, quia lucecit in prima sabbati, venerunt videre sepulcrum, ita intelligendum, quia vespere quidem venire cœperunt; sed lucecente mane in prima sabbati ad sepulcrum pervenerunt; idest, vespere aromata paraverunt, quibus corpus Domini ungeri desiderabant; sed aromata vespere præparata, mane ad sepulcrum detulerunt: quod Matthæus quidem brevitas causa obcurius posuit; sed Evangelistæ alii quo ordine factum sit evidentius ostendunt. Sepulcro namque sexta feria Domino, reversæ à monumento mulieres præparaverunt aromata, & unguenta, quamdiu operari licebat: & sabbato quidem siluerunt secundum legis mandatum, sicut Lucas aperte designat; cum autem transisset sabbatum, vespere adveniente, tempus operandi rediisset, prompte ad devotionem emerunt quæ minus præparaverant aromata, sicut Marcus cap. 16. commemorat, „ ut venientes ungerent Jesum: „ & valde mane veniant ad monumentum.“ *Hieronymus* (in initio Com. in cap. 28. Matth.) Vel aliter. Quod diversa tempora istarum mulierum in Evangeliiis describuntur, non mendacii signum est, ut impii obijciunt, sed sedulæ visitationis officia, dum crebro abeunt, & redeunt, & non patiuntur à sepulcro Domini diu abesse, vel longius. *Remigius*. Sciendum autem, quia Matthæus mystice loquens studuit nobis insinuare, illa sacratissima nox quantam dignitatem ex honore devictæ mortis, & dominicæ resurrectionis accepit: ideo dixit: *Vespere autem sabbati quæ lucecit in prima sabbati*. Cum consuetus ordo temporum habeat ut vespere non lucecat in diem, sed potius obtenebreat in noctem; ostenditur his verbis quod Dominus totam hanc noctem lucæ suæ resurrectionis festivam, & coruscam reddidit. *Beda* in hom. (b) (in vigilia paschæ.) Ab exordio etiam mundanæ creationis usque huc ita temporum cursus distinguebatur, ut dies noctem præcederet: quia homo à luce paradysi peccando lapsus in hujus sæculi tenebras, ærumnaque decidit. Aptissime autem nunc dies se-

(1) *Al. omittitur quæ.* (2) *Apud P. Nicolai est mutaretur mulier vita, non nomine, virtute, non sexu.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Beda.* (b) Inter æstivales. (c) Immo potius Chrysologus partim serm. 74. qui est 2. de Resur. partim serm. 75. qui est 3. de eadem; adeoque perperam prius notabatur de Pass. pro de Pasch. five de Pascha.

quitur noctem, quando per fidem resurrectionis à peccati tenebris, & umbra mortis ad lucem vitæ, Christo largiente, reducitur. *Severianus* (c) in sermo de Pass. Est autem vespere sabbati quæ lucecit: quia illuminatur per Christum sabbatum, non deletur. *Non*, inquit supra 5. *veni solvere legem, sed adimplere*. Illustratur, ut in diem dominicam luceat, clarificat in Ecclesia quod in synagoga, Judæis obscurantibus, fuscabatur. Sequitur: *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum*. Sero quidem mulier currit ad veniam, quæ mature currerat ad culpam; quæ de paradiso perfidiam sumperat, festinat fidem sumere de sepulcro; contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem. Non autem dixit, *Venerunt, sed Venit*, sub uno nomine. Veniunt duæ mysterio, non casu: venit ipsa, sed altera, ut (2) mutaretur mulier virtute, non sexu. Præcedunt autem Apostolos femine, quæ Ecclesiarum typum ad dominicam deserunt sepulcrum, Maria scilicet, & Maria, Maternum Christi unum nomen in duas germinatur feminas: quia hæc Ecclesia ex duabus populis veniens, idest ex Gentibus, & Judæis, una esse figuratur. Venit autem Maria ad sepulcrum, sicut ad resurrectionis uterum, ut iterum Christus ex sepulcro nasceretur fidei, qui carni fuerat generatus ex ventre; & eum quem clausa virginitas ad præsentem tulerat vitam, clausum sepulcrum ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est clausam virginem reliquisse post partum, & de sepulcro clauso exisse cum corpore.

Sequitur: *Et ecce terramotus factus est magnus*. *Hieronymus* (ubi supra.) Dominus noster, unus atque idem Filius Dei & hominis, juxta utramque naturam divinitatis, & carnis, nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signum demonstrat: unde & in præsentem loco quisquis homo sit qui crucifixus est, qui sepultus, tam men quæ foris aguntur, ostendunt Filium Dei. *Hilarius* (can. ult. in Matth.) Motus enim terræ resurrectionis est virtus, cum concussio mortis aculeo, & illuminatis illius tenebris, resurgente virtutum caelestium Domino, inferorum trepidatio commovetur. *Chrysolomus* in hom. 90. Vel ideo terramotus factus est, ut exurgant, & evigilent mulieres: etenim accesserant, ut unguentum mitterent: & quia in nocte hæc gerebantur, probabile est quasdam obdormisse. *Beda*

in

in hom. (idest inter æstivales de tempore.) Quod etiam terramotus, resurgente Domino de sepulcro, sicut etiam moriente in cruce, factus est magnus, significat terrena quidem corda per fidem passionis prius, ac resurrectionis ejus ad penitentiam concutienda salubri pavore permota. *Severianus* in sermo Paschæ. (a) Si autem sic terra tremuit, cum Dominus ad veniam sanctorum resurgeret; quomodo contremiscent, cum noxiorum omnium surget ad pœnam? dicente Propheta Psalm. 75. „ Terra tremuit, „ cum resurgeret in judicio Deus.“ Et quomodo Domini præsentiam sustinebit, quæ Angeli præsentiam sustinere non valuit? Nam sequitur: *Angelus Domini descendit de celo*. Surgente siquidem Christo, morte pereunte, terrenis redditur caeleste commercium, & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum Angelo colloquium fit vitale. *Hilarius* (can. ult. in Matth.) Misericordiæ enim Dei Patris insigne est, resurgente Filio ad inferis, virtutum caelestium (1) ministeria mittere; atque ideo prior resurrectionis ipse est (2) index, ut quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectio nuntiaretur. *Beda* in hom. (ubi supra.) Quia enim Christus Deus & homo est, inter acta humanitatis semper ei Angelorum ministeria Deo debita non desunt. Sequitur: *Et accedens revolvit lapidem*: non ut egressuro Domino januam pandat, sed ut egressuro ejus jam facti hominibus præter indicium. Qui enim mortalis clauso virginis utero potuit nascendo ingredi mundum, ipse factus immortalis, clauso sepulcro potuit resurgendo exire de mundo. *Remigius*. Significat autem revolutio lapidis reiterationem sacramentorum Christi, quæ littera legis tegebantur: lex namque in lapide scripta fuit, & ideo per lapidem designatur. *Severianus* (b) Non autem dixit, *Volvit, sed Revolvit lapidem*: quia lapis advolutus probavit mortem, & revolutus extitit resurrectionis assertor. Mutatur hic ordo rerum: sepulcrum mortem, non mortuum devorat; domus mortis mansio fit vitalis; (3) uteri nova forma mortuum recipit, reddit vivam. Sequitur: *Et sedebat super eum*: sedebat inquam, cui nulla inerat lassitudo, ut fidei doctor, ut resurrectionis magister; sedebat supra petram, ut soliditas sedentis daret credentibus firmita-

tem: ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus. Vel per lapidem monumenti potest designari mors, qua omnes promebantur: per hoc ergo quod Angelus super lapidem sedet, significatur quod Christus mortem suam virtute subjecit. *Beda* in hom. (ubi supra.) Et recte stans apparuit Angelus, qui adventum Domini in mundo prædicebat, ut stando designaret quia Dominus ad debellandum mundi principem veniret. Præco autem resurrectionis sedisse memoratur, ut sedendo significaret eum, superato mortis auctore, sedem regni jam conscendisse perpetui. Sedebat autem super lapidem revolutam, quo ostium monumenti claudabatur, ut clausura inferorum, sua ipsium virtute deiecit doceret. *Agustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 24.) Potest autem movere quomodo secundum Matthæum Angelus super lapidem sedebat revolutam à monumento, cum Marcus dicat mulieres introeuntes in monumentum vidisse juvenem sedentem in dextris, nisi intelligamus aut Matthæum tacuisse de Angelo, quem intrantes viderunt, Marcum autem de illo quem viderunt sedentem super lapidem; ut duos viderint, & à duobus sigillatim audierint quæ dixerunt Angeli de Jesu: aut certe quod dicit (Marc. 16.) „ Intrantes in „ monumentum, „ in aliqua septa maceria debemus accipere, qua communium locum tunc fuisse credibile est, idest in aliquod spatium ante petram, in qua excisa locus factus fuerat sepulcræ, ut ipsam viderint in eodem spatio sedentem à dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem.

Sequitur: *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix*. *Severianus*. (c) Vultus claritas à vestium candore (4) separatur, & facies fulguri, nivi vestis Angeli comparatur: quia fulgur de celo, nix de terra: unde Propheta Psalm. 146. „ Laudate Dominum de terra... „ ignis, grando, nix &c. „ In facie ergo Angeli claritas caelestis servatur natura, in veste significatur gratia communionis humanæ; & sic temperatur species Angeli colloquens, ut carnales oculi & vestium ferant placidam claritatem. (5) & ex fulgore vultus nuntium sui tremere, & reverentur auctoris. *Idem*

in

(1) *Al. mysteria.* (2) *Al. videri.* (3) *Al. veteri.* (4) *Al. superatur.* (5) *Al. & ex fulgure.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod sequitur ex Severiano rursus in Chrysologo sparsim habetur serm. 74. circ. med. quoad posteriorem appendicem, tum serm. 77. quoad priorem, sed inversa serie. (b) Et hæc rursus in Chrysologo, sicut prius, habentur in serm. 74. post medium, nisi quod pro his verbis *mortuum recipit, reddit vivum*, habet aptius ad metaphoram uteri *mortuum concipit, parit vivum*; nec appendicem illam habet, *Vel per lapidem &c.* quæ nec occurrit. (c) Sive iterum, ut supra, Chrysologus serm. 75. post medium.

in (a) alio ferm. Quid autem facit indumentum ubi tegendi necessitas non habetur? Sed Angelus nostrum habitum, nostram formam in resurrectione præfiguratur, ubi homo ipsa corporis sui claritate vestitur. *Hieronymus*. In candido etiam vestitu Angelus significat gloriam triumphantis. *Gregorius* in hom. de Pasch. (b) (hom. 21. in Evang.) Vel aliter in fulgure terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris: quia vero omnipotens Deus, & terribilis est peccatoribus, & blandus justis, recte testis resurrectionis ejus Angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios: unde sequitur: *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Rabbanus*. Timoris anxietate sunt exterriti qui amoris fiduciam non habebant; & facti sunt velut mortui qui resurrectionis veritatem credere noluerunt. *Severianus*. (c) in ferm. Pasch. Custodiebant enim crudelitatis studio, non pietatis obsequio: stare enim non potest quem conscientia desinit, & impellit reatus. Hinc est quod Angelus percellit impios, pios alloquitur, & solatur.

Sequitur: *Respondens autem Angelus dixit mulieribus. Hieronymus* (super *Præ timore autem exterriti sunt*.) Custodes quidem timore perterriti ad instar mortuorum stupefacti jacent; & Angelus tamen non illos, sed mulieres consolatur, dicens: *Nolite timere vos*; quasi dicat. Illi timeant in quibus remanet incredulitas; ceterum vos, quia Jesum queritis crucifixum, audite quod surrexerit, & promissa perfecit: unde sequitur: *Scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, queritis. Severianus*. (d) Adhuc enim crucifixum, & mortuum requirebant, quarum fidem sæva passio procilla turbaverat, & tentationis ita eas pondus incurvaverat, ut cæli Dominum quærerent in sepulcro.

Non est hic. Rabbanus (super *Non est hic, surrexit*.) Per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deest per præsentiam majestatis.

Sequitur: *Surrexit enim, sicut dixit. Chrysostr. in hom. 90.* Quasi dicat: Et si mihi non creditis, illius mementote verborum. Deinde & alia sequitur demonstratio, cum subditur: *Venite, & videte locum ubi positus erat Dominus. Hieronymus*. Ut si meis verbis non creditis, vauo credatis sepulcro. *Severianus*. (e) Ange-

(1) *Al. deest vobis. P. Nicolai legit verbis.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Idem scilicet Chrysológus ferm. 77. versus finem. (b) Scilicet hom. 21. in Evang. quæ de Paschate hic appellatur, quia legitur in Paschate, non sicut prius, de Passione. (c) Immo iterum Chrysológus ferm. 75. versus finem. (d) Ad hoc etiam Chrysológus est ferm. 77. versus finem. (e) Adhuc est Chrysológus ferm. 76. paulo post initium. (f) Vel Chrysológus rursus ferm. 77. prope finem.

lus ergo prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem; sed mox resurrectionem, mox Dominum consistit: & Angelus post tanta supplicia, post sepulcrum agnoscit Dominum suum; cur homo aut minoratum Deum in carne judicat, aut in passione existimat defecisse virtutem? Dicit autem crucifixum, & ostendit locum ubi positus erat Dominus, ne aliter, & non idem resurrexisset crederetur ex mortuis. Et si Dominus in eadem redit carne, & tunc resurrectionis facit indicia: quare homo in alia putat se carne rediturum? Aut carnem forte servus dedignatur suam, cum nostram Dominus non mutavit? *Rabbanus* (super *Venite, & videte locum*.) Non autem solis. (1) vobis hoc gaudium magnum concessum est occulto corde tenere; sed similiter amantibus debetis illud pandere: unde sequitur: *Et cito euntes dicitis discipulis ejus, quia surrexit. Severianus* (f) Quasi dicat: Revertere ad virum mulier jam sanata, & suade fidem, quæ perfidiam ante suastisti: refer homini resurrectionis indicium, cui ante consilium ruinæ dedisti.

Sequitur: *Et ecce præcedet vos in Galileam. Chrysostr. in hom. 90.* Hoc autem dicit eripiens eos à periculis, ne timor fidem impedit. *Hieronymus* (super *Quia surrexit*.) Mystice autem præcedet vos in Galileam; hoc est, in voluntarium Gentilium, ubi ante error erat, & lubricum, & firmo ac stabili pede vestigium non tenebat.

Sequitur: *Ibi enim videbitis: ecce prædicari vobis. Beda* in hom. (1. inter æstivales.) Bene autem Dominus in Galilea videtur à discipulis, qui jam de morte ad vitam, jam de corruptione ad incorruptionem transferat: Galilea quippe transmigrationis interpretatur. Felices feminæ quæ triumphum resurrectionis mundo annuntiare meruerunt; feliciores animæ quæ in die iudicii, percussis pavore reprobis, gaudium beatæ resurrectionis intrare meruerint.

(b) *Hilarius* (can. ult.) Mulieribus per Angelum adhortatis confestim Dominus occurrit, ut nuntiaturæ expectantibus discipulis resurrectionem non Angeli potius quam Christi ore loquerentur: unde dicitur: *Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno. Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 24.) Egredie autem dicuntur à monumento, hoc est ab illo loco ubi erant hori spatium ante lapidem

dem effossum. *Hieronymus* (super *Exierunt cito de monumento*.) Duplex autem mentes mulierum tenebat affectus, timoris, & gaudii; & alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis; & tamen uterque scemineum concitabat gradum: unde sequitur: *Currantes nuntiate discipulis ejus*. Pergebant enim ad Apostolos, ut per illos fidei seminaria spargeretur. Quæ autem sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obviam habere Dominum resurgentem: unde sequitur: *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens, Ave. Rabbanus* (statim ante *Et occurrit illis Jesus*.) Per hoc ostendit, se omnibus iter virtutum inchoantibus, ut ad salutem perpetuam pervenire queant, adjuvando occurrere. *Hieronymus* (ibidem.) Primæ mulieres merentur audire, *Ave*, ut maledictum Evæ mulieris, in mulieribus solveretur. *Severianus* (a) (ibidem.) In istis vero sceminis Ecclesiæ figuram manere evidenter ostendit: quia discipulos suos Christus de resurrectione arguit tepidantes; occurrens autem istis non potestate tenet, sed prevenit (1) caritatis ardore: Christus enim in Ecclesia se salutem, quam suam recipit in corpus. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 24.) Colligimus & Angelorum allocationem bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, scilicet cum viderunt unum Angelum, de quo narrat Mattheus, & Marcus, & cum postea viderunt duos, ut narrat Lucas, & Joannes: & similiter ipsius Domini bis, semel scilicet illic quando Maria horullanum putavit, & nunc iterum cum eis occurrit in via, ut eas ipsa repetitione firmaret, atque à timore recrearet. *Severianus* (b) ubi supra.) Sed ibi Mariæ nec tangendi datur facultas; hic non solum tangendi, sed tenendi copia tota conceditur: unde sequitur: *Ille autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Rabbanus* (super *Tenuerunt*.) Superius quidem dictum est, quia clauso surrexit monumento, ut immortale jam factum doceret esse corpus, quod in monumento clausum fuerat mortuum; tenendos autem mulieribus tunc præbuit pedes, ut intimaret veram se carnem habere, quæ à mortalibus tangi posset. *Severianus* (c) in ferm. de Resurr. Ista quidem tenent pedes Christi, quæ in Ecclesiæ (2) typo, evangelicæ prædicationis tenent, & merentur excursum; ac sic fide astrin-

S. Thom. Op. Tom. VIII.

(1) *Al. caritatis.* (2) *P. Nicolai habet quæ in Ecclesia typum evangelicæ prædicationis tenent, & merentur ex cursu; ac sic &c.* (3) *Al. quamvis.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Rursus ex Chrysológus id habetur ferm. 76. prope med. quoad priorem partem, & paulo ante quoad posteriorem, interjectis quibusdam quæ hic desunt. (b) Vel Chrysológus ferm. 76. ut supra. (c) Vel Chrysológus rursus, sicut supra. (d) Serm. 80. qui cum præcedentibus confundebatur, prius, quasi omnium series una esset. (e) Vel Chrysológus rursus ferm. 80. quod & infra intelligi oportet.

gunt sui vestigia Salvatoris ut torius deitatis perveniant ad honorem. Illa autem merito audit Joan. 20. „Noli me tangere,“ quæ in terris desiet Dominum, & sic in sepulcro querit mortuum ut in cælis eum nesciat regnare cum Patre. Quod ergo eadem Maria, nunc in fidei vertice constituta, tangit Christum, ac tenet toto sanctitatis affectu, nunc imbecillitate carnis, & scemine infirmitate desecta dubitat, & tactum sui non meretur auctoris, non facit quæstionem. Siquidem illud de figura est, hoc de sexu; illud est de divina gratia, hoc de humana natura: quia nos ipsi cum divina scimus, Deo vivimus; cum humana sapimus, cæcatur ex nobis. (d) Tenuerunt autem pedes ejus, ut scirent in capite Christi virum esse, se autem esse in pedibus Christi, & datum sibi virum sequi, non præire ipsum. Quod autem dixerat Angelus, dicit & Dominus, ut quas simaverat Angelus, Christus redderet firmiores.

Sequitur: *Tunc ait illis Jesus, Nolite timere. Hieronymus*. Et in veteri, & in novo testamento hoc semper observandum est, quod quando aliqua augustior apparuerit visio, primum timor pellatur, ut sic mente placata, possint quæ dicuntur, audiri. *Hilarius* (can. ult.) In contrarium autem ordo causæ principalis est redditus, ut quia à sexu muliebri cæpta mors esset, ipsi primum resurrectionis gloriæ & visus, & nuntius redderetur; unde Dominus subdit: *Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galileam: ibi me videbunt. Severianus* (e) (ser. de Resurrect.) Vocat fratres quos corporis sui fecit esse germanos; vocat fratres quos benignus heres sibi præstitit coheredes; vocat fratres quos Patris sui adoptavit in filios. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 25.) Quod autem Dominus non ubi primum se monstraturus erat, sed in Galilea, ubi postea visus est, & videndum mandavit & per Angelum, & per seipsum, (3) quemvis fidelem facit intentum ad quærendum, in quo mysterio dictum intelligitur: Galilæa namque interpretatur vel transmigrationis, vel revelatio. Prius itaque, secundum transmigrationis significationem, quid aliud occurrit intelligendum, nisi quia Christi gratia de populo Israel transmigrationis erat ad Gentes, quibus Apostoli prædicantes Evange-

S

5

lium

lium nullo modo crederent, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum prepararet? Et hoc intelligitur, *Præcedet vos in Galilæam*. Quod autem subditur, *Ibi eum videbitis*, sic intelligitur; id est, ibi membra ejus invenietis, ibi vivum corpus ejus in his qui vos susceperint, agnoscetis. Secundam autem quod Galilæa interpretatur revelatio, non jam in forma servi intelligendum est, sed in illa in qua æqualis est Patri. Illa erit revelatio tanquam vera Galilæa, eum, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est: Joan. 3. Ipsa etiam erit beatorum transmigrationis ex isto sæculo in illam æternitatem.

(c) *Chrysostronus* in hom. 1. Signorum quæ circa Christum apparuerunt, quædam fuerunt orbi terrarum communia, puta tenebræ, quædam propria militibus custodiens, sicut mira Angeli apparitio, & terræ motus, quæ propriæ militibus facta sunt, ut suspicerent, & ab ipsis fiat testimonium veritatis: veritas enim à contrariis divulgata magis resurgit; quod & contingit, unde dicitur: *Quæ cum absissent, scilicet mulieres, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant*. *Rabbanus* (hoc loco.) Simplex quidem animi qualitas, & indocta hominum rusticitas sæpe veritatem rei, ut est, sine fraude manifestat; at contra veritatem malignitas falsitate verisimilibus verbis pro vero commendare decernat. *Hieronymus* (super *Et congregati cum senioribus*) Principes (1) ergo sacerdotum, qui debuerant converti ad penitentiam, & Jesum quærentem resurgente, perseverant in malitia, & pecuniam quæ ad utilis templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut & ante triginta argenteos (2) inde dederunt proditori: unde sequitur: *Et congregati cum senioribus, consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus*. *Severianus* (de Resurrect.) Non enim contenti sunt interfecisse magistrum; immo etiam quomodo discipulos perdere (3) possint, moluntur, (4) & discipulorum crimen esse faciunt virtutem magistrum. Plane amiserunt milites, perdidit Judæi; sed discipuli magistrum suum non furto, sed fide; virtute, non fraude; sanctitate, non crimine; vivum, non mortuum, sustulerunt. *Chrysostronus* in hom. 91. Qualiter enim furarentur discipuli

(1) *Al.* desit ergo. (2) *Al.* Judæ dederunt. (3) *Al.* possunt. (4) *Al.* discipulorum crimen esse faciunt magistrum. (5) *Al.* omittitur &.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, nec alibi occurrit. (b) Ex Hilario etiam citat appendix Glossæ in hunc locum; sed prima tantum verba ex Hilario textu colligi possunt.

homines pauperes, & idiotæ, & neque apparere audentes? Si enim adhuc Christum vivum videntes fugerunt, qualiter mortuos eo non timuissent: tot militum multitudinem? Numquid ostium sepulchri poterant evterere? Lapis enim imminet magnus, multis indiget manus. Numquid etiam non erat sigillum superimpositum? Propter quid autem non furati sunt prima nocte, quando nullus sepulchro affuit? Sabbato enim perierunt à Pilato custodiam. Quid autem sibi volunt hæc sudaria quæ Petrus vidit jacentia? Si enim vellent furari non essent nudum corpus furati, non solum ne injuriarentur, sed ne etiam in exendo tardarent, (5) & tribuerent militibus se detinendi facultatem, maxime quia myrrha erat corpori, & vestimentis affixa, et glutinosa ut non facile esset à corpore avellere vestimenta: quare non persuasibilia sunt quæ de furto dicta sunt. Unde per quæ resurrectionem obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarescere. Dicentes enim quod discipuli furati sunt, consistent non esse corpus in sepulchro; furtum autem ostendit esse mendacii custodia militum, & discipulorum pavor. *Remigius*. Sed si custodes dormierunt, quomodo furtum viderunt? Et si non viderunt, quomodo testes fuerunt? Et ideo quod voluerant facere non poterunt. *Glossa*. (a) Ne autem timore Principis à mendacio revocarentur, timentes propter negligentiam puniri, subdunt: *Et si hoc auditum fuerit à præside, nos sciabimus ei, & securos vos faciemus*. *Chrysostronus* in hom. 91. Vide omnes corruptos: Pilatus enim ipse persuasus est, plebs Judaica commota est, milites corrupti sunt: unde sequitur: *At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edociti*. Si pecunia apud discipulum tantam habuit virtutem ut eum faceret magistrum proditorem; non mireris si pecunia milites superantur. *Hilarius* (b) (in fin. Com. in 28. cap. Matth.) Emitur ergo resurrectionis silentium, & mendacium furti argenti, quia honore scilicet sæculi, qui in pecunia est, & cupiditate, Christi gloria denegatur. *Rabbanus* (super *Divulgatum est verbum*.) Sicut autem sanguinis reatus, quem sibi, & posteris suis ipsi imprecabantur, gravi peccatorum sarcina illos premit; ita emptio mendacii, per quod resurrectionis denegant veritatem, reatu eos constituit perpetuo: unde sequitur: *Et divulgatum est verbum istud apud*

Judæos usque in hodiernum diem. *Severianus*. (a) Apud Judæos quidem divulgatum est, non apud Christianos: quod enim in Judæa Judæus obsecrabat auro, fide toto claruit in mundo. (b) *Hieronymus* (super *Congregati cum senioribus*.) Omnes autem qui stipe templi, & his quæ conferuntur ad usus Ecclesie abutantur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum, & sacerdotum redimentium mendacium, & salvatoris sanguinem. (c) (d) *Beda* in hom. (ut supra.) Postquam dominicam resurrectionem ab Angelo nuntiatam beatus Matthæus asseruit, visionem Domini etiam à discipulis impleram refert, dicens: *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Jesus*; nam pergens Dominus ad passionem ait discipulis (supra 26.) *Postquam surrexero præcedam vos in Galilæam*. Angelus quoque mulieribus ait Marc. 16. *Dicite discipulis ejus, quia præcedet vos in Galilæam*. Quapropter jussioni magistrum obedientia discipulorum obsequitur. Recte autem undecim discipuli ad adorandum pergunt: jam enim unus perierat, qui Dominum, ac magistrum suum tradiderat. *Hieronymus* (c) (super *Undecim abierunt*.) Post resurrectionem ergo Jesus in Galilæa monte conspicitur, ibique adoratur; licet quidam dubitent, & dubitatio eorum nostram augeat fidem.

Sequitur: *Et videntes eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt*. *Remigius*. Hoc autem Lucas Evangelista plenius manifestat; refert enim quia cum Dominus resurgens à mortuis ipse apparuisset discipulis, ipsi conturbati, & exterriti, existimabant se spiritum videre. *Rabbanus*. In monte quidem apparuit eis Dominus, ut significaret quoniam corpus quod de (1) communi generis humani terra nascendo susceperat, resurgendo jam super terrena omnia sublevaverat, & ut admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis ejus cupiunt videre, hic ab infimis voluptatibus ad superna studeant desideria transire. Jesus autem discipulos in Galilæam præcedit, quia Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Sequuntur autem hi qui sunt Christi, & suo ordine ad vitam de morte transmigant, in sua specie divinitatem contemplantur; & huic congruit quod Galilæa revelatio interpretatur. *Augustinus* de Conc. Evang. (Lib. 3. cap. 25.) Sed considerandum est quomodo corporaliter in Galilæa Dominus videri po-

tuert; quia enim non ipso die quo resurrexit, visus est quidem, manifestum est: nam in Hierusalem visus est eo die in initio noctis, ut Lucas, & Joannes aptissime consonant, neque etiam in sequentibus octo diebus, post quos dicit Joannes discipulis apparuisse Dominum, ubi primo vidit eum Thomas, qui eum non viderat die resurrectionis ejus: nisi quis dicat non illos undecim qui jam tunc Apostoli vocabantur, sed discipulorum illic undecim fuisse ex multo numero discipulorum. Sed occurrit aliud quod obsistit: Joannes enim quando commemoravit non in monte ab undecim, sed ad mare Tiberiadis à septem piscantibus visum esse Dominum: „ Hoc jam tertio (inquit) manifestavit, se Jesus discipulis suis: quod intelligendum est ad numerum dierum retulisse, non ad numerum manifestationum. Si autem (2) acceperimus intra illos octo dies antequam eum Thomas vidisset, ab undecim discipulis quibusque Dominum visum, (3) non erit hoc ad mare Tiberiadis tertio manifestatum esse, sed quarto: ac per hoc cogimur intelligere, post omnia factum esse quod eum in monte Galilæa discipuli undecim viderunt. Invenimus itaque apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum ab hominibus esse post resurrectionem, semel ad monumentum à mulieribus; iterum eisdem egredientibus à monumento in itinere; tertio Petro; quarto duobus euntibus in castellum; quinto pluribus in Hierusalem, ubi non erat Thomas; sexto ubi vidit eum Thomas; septimo ad mare Tiberiadis; octavo in monte Galilæa secundum Matthæum; nono, quod dicit Marcus, novissime recumbentibus, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi; decimo in ipso die non jam in terra, sed elevatum in nube, cum in Cælum ascenderet, quod Marcus, & Lucas commemorant. Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes fatetur: crebra enim erat ejus cum illis conversatio per dies quadraginta, priusquam ascendisset in Cælum. *Remigius*. Videntes ergo discipuli Dominum cognoverunt, & idcirco dimisisis in terram vultibus adorabant; & ideo pius, & clemens magister, ut omnem dubietatem auferret à cordibus eorum, accedens ad eos corroboravit in fide: unde sequitur: *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*. *Hieronymus* (super *Data est mihi omnis potestas*.) Illi autem potestas data est qui paulo an-

(1) *Al.* communis. (2) *Al.* acciperemus. (3) *Al.* non erit ad mare Tiberiadis manifestum esse.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Vel Chrysológus rursus serm. 76. prope finem. (b) *Hilarius*.

(c) Habet eadem Hilarius, ex quo hæc, & alia etiam ante dicta mutuatus est Hieronymus, iidem plane verbis.

